

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Sanctitas uel sanctus s  
cum fonte primo

Qui peccat de sanctis exit.

Non enim in locis sancta querenda sunt sed in actibus et uite moribus que si secundum Deum sint et secundum preceptum Dei habeantur, eciam si in domo sis, eciam si in foro (et quid dico in foro?), eciam si in theatro inueniaris uerbo Dei deseruiens, in sanctis te esse non dubites.

Origenes omelia XLII. super illud Leuitici: De sanctis non exhibit.

Qui enim peccat, exit de sanctis et quotiensque quis peccat, totiens efficitur extra sancta. Christus autem, qui numquam peccauit, numquam exiit de sanctis. Sed et tu, qui sequeris Christum et imitator eius es, si permaneas in uerbo Dei, si in lege eius mediteris die ac nocte, si in mandatis eius exercearis, semper in sanctis es nec umquam inde discedis.

Neque enim in loco sancta quaerenda sunt, sed in actibus et uita ac moribus. Quae si secundum Deum sint et secundum praeceptum Dei habeantur, etiamsi in domo sis, etiamsi in foro – et quid dico in foro? – etiamsi in theatro inueniaris uerbo Dei deseruiens, in sanctis te esse non dubites.

Origenes, *In Leviticum homeliae*, 12, 4 (SC 287, M. Borret ed., p.182, ll.58-70).